

Vera ratio est, quod membrum Silluki duobus tantum constet vocibus, quare harmonia musica requirebat, ut prior tardius pronuntietur. Oratores quoque membra paucarum vocum tardius pronuntiant, ut longioribus consonent. Par erit judicium de omnibus reliquis vicariis, magno numero ibi exhibitis, quibus omnibus carere potuisset, si observasset conjunctivos omnes conjunctim, & distinctivos Euphonicos tarde legendos, & ubi vocum sensus requirit, distinctivos distinguendos esse. Idem sentendum de tabula metrica, quæ prosaica pejor & confusior est. Sed quid refello Accentuatoris methodum, nemini eruditorum probatam, & ineptis Regulis & versionibus seipsum destruentem. Ni Frankius simiæ instar suam condignam sobolem indulgentius amasset, nec eam nimia exosculatione ipse enecasset, intacta manasset ejus Diacritica. Sed fato sic ferente, ipsoque postulante, vivis coloribus depingenda erat, ne Hebræophili decipientur, & nubem pro Junone amplectantur. Evolvat, qui vult, tabulas Cl. Ab. maxime, quas æri incidi curavit, nitidas, & componat cum illis Frankianis, videbit, quæ differentia intercedit. In his regularia sunt omnia, nulla irregularia. Has paucarum horarum spatio memorie imprimes, & facillime codicem distincte legere & intelligere disces.

## §. XL.

Quod supereft, Candide Lector, mihi exorandus es, quod stylo liberiori hæc scripferim. Perpendas velim causas, quæ me impulerunt, quarum præcipuae sunt, quod ventosus Frankius, ob lites cum Ephoro ab officio remotus, seipsum non cognoscet, sed vana scientiæ philologicæ persuasione inflatus, Wasmuthium, Rheinbeckium, Clericum, Hakspanium &c. nec non scripturæ interpretes & Criticos despiciat, & adunco naso suspendat, qui ejus ineptas de accentibus hypotheses non observarunt. Accedit, quod modestiæ limites ubique transgrediatur, & ira abreptus scribat, quicquid in buccam venit, imprimis, quod aliorum sententias non perpendit, sed ex innata stupiditate sibi sententias fingit, quas refutet, & quod pessimum, aliorum verba ex malitia pervertat, corrumptat, iisque sensus affingat, de quibus ne personum cogitarunt. Deplorandum sane est hodiernæ reipublicæ